

XIV

IN AVGVSTI EX HISPANIA REDITVM

Strophe Sapphica

Herculis rītū modo dictus, ō plēbs,
Morte vēnālem petiisse laurum,
Caesar Hispānā repetit penātēs
Victor ab ōrā.

Ūnicō gaudēns mulier marītō
Prōdeat, iūstīs operāta dīvīs ;
Et soror clārī ducis, et decōrae
Supplice vittā

Virginum mātṛēs, iuvenumque nūper
Sōspitum. Vōs, ō puerī, et puellae ac
Iam virum expertae, male |ōminātīs
Parcite verbīs.

Hic diēs vērē mihi fēstus ātrās
Eximet cūrās : ego nec tumultum,
Nec morī per vim metuam, tenente
Caesare terrās.

Ī, pete unguentum, puer, et corōnās
Et cadum Mārsī memorem duellī,
Spartacum sī quā potuit vagantem
Fallere testa.

Dīc et argūtae properet Neerae
Myrreum nōdō cohibēre crīnem :
Sī per invīsum mora iānitōrem
Fīet, abītō.

Lēnit albēscēns animōs capillus
Lītium et rīxae cupidōs protervae :
Nōn ego hoc ferrem, calidus iuventā,
Cōnsule Plancō.